



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 150. Aurelianensis Dux ab Anglis liber dimissus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. urbe excederent, concessa vitæ, & libertatis gratia, quæ pacis conditiones Religiosè observatæ fuerunt.

## §. CL.

*Aurelianensis Dux ab Anglis liber dimissus.*

Aurelianensis Dux, postquam a prælio Azincurtiensi, quod Anno Christi millesimo quadringentesimo decimo quinto Gallis oppido infaustum erat, ab Henrico V. Anglorum Rege captus, indeque in Angliam perductus fuerat, ibi jam per viginti quinque annos detinebatur, hoc autem anno Mense Junio tandem libertati restitutus est, lytro eo magis accepto, quo minus exspectato. Quamvis etenim hucusque Burgundica, & Aurelianensis Domus mutuis, ac diutinis inter se odiis exarsissent, nihilo minus tamen Dux Comes Aurelianensis Ducis Frater pro captivo Philippi Burgundiæ Ducis opem implorabat. Hic clementia non minus generosa, quam politica usus, gloriæ sibi ducebat, quod ipse tandem inimici sui calamitatibus finem imponeret. Cum autem Angli captivum libertati reddere renuerent, nisi persoluto trecentorum millium aureorum pretio, ideo Burgundiæ Dux ducenta millia numeravit, ea lege, ut Aurelianensis liber dimissus sibi in uxorem



rem acciperet Margaritam Adolphi I Cle-<sup>Sæcul. XV.</sup>  
 venfis Ducis Filiam, & Philippi neptem. A. C. 1440.

Igitur Dux, cum Dunensis Comes resi-  
 duam lytri partem penderet, consentien-  
 te Rege plenæ libertati restitutus, ac Ca-  
 letum regressus est. Hæc ergo fuit dies  
 illa auspiciatissima, in qua capitales inimi-  
 citiæ ab utriusque Ducis Parentibus su-  
 scitatæ per sinceram Filiorum suorum re-  
 conciliationem, intimamque amicitiam  
 extinctæ sunt. Reducem Carolum Au-  
 relianensem Philippus non modo summis  
 honoribus in urbe Gravelina excepit, sed  
 etiam die vigesima Novembris Aurei vel-  
 leris ordine decoravit, ac vicissim ab Au-  
 relianensi Duce ordinem Hericii, sive Hy-  
 stricis, velut reciprocum mutuæ concor-  
 diæ argumentum suscepit. Quo facto  
 Aureliæ Dux firmato promissi connubii  
 fœdere, Audomari publice in Ecclesia San-  
 cti Bertini Atrebatensem conventionem  
 propria manu munivit, eandemque inte-  
 gra fide se servaturum unacum Dunensi  
 Comite, interposita etiam Sacramenti  
 religione pollicitus est. Ab eo tempo-  
 re hi duo Principes, quis alter alterum  
 mutuis perfectæ, ac sinceræ amicitia  
 signis superaret, certabant.